



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio Viceſima Secunda

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenſis

Reſtore


Reſpondente,

GEORGIO Gottlieb Bleyhmüller

Olsnicenſi Varifco

Dominicâ Palmarum,

A.O. R. clb. Ibc. IIII.



HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris Oel-

ſchlegely

EVANGELICARUM
DIVITIARUM

Disputatio Vicesima Secunda

PRÆFATIO

CHRISTIANO GUENZIO

Gymnasi Hallensis

Regere

Respondere

GEORGIO BOETII, Bibliothecario

Officium Vices

Dominici Pomerani

M. O. R. C. P. C. M.

1688

HALLIS SAXONUM

Problema Melchioris Oel

1688



ANALYSIS EVANGELII

Dominica Palmarum
Matth. c. 21. à v. 10. usq. ad 17.

ANTELOGIUM.



Uod habetur Cant. 3, 11.

*Egredimini filia Sion! vide-
te Salomonem. Ecce Rex tuus
venit tibi mansuetus. Illud i-*

*psum modo merito repeti praesens Dominica
mandat: dum omnes pii, quemadmodum tum
temporis, ubi Christus uetus asello, jubentur
ut egrediantur & videant eum, qui Salomon
verus, & plusquam Salomon, nempe Iesum
Christum. Venit sane ad templum suum do-
minator, uti habetur Malach. 3, 1. Venit Rex
quem desiderant, quem amant, in quem spe-
rant & in quem credunt universi, qui pii, uti*

O o

&

Et filie Sion sunt, qui spirituales Et prophetie spiritum habent, quemadmodum interpretatur Kempis de Adventu Christi meditat: 3. Atque ita Rex est, non mundanus, sed spiritualis Et humanus, mansuetus, ut non propter potentiam timeretur, sed ut propter potentiam amaretur, habet Chrysost. homil. 36. Sicque est observandum hic effectum, ut egrediamur de vanitatibus populi, Et objectum ipsum, ut contemplemur Regem pacificum: subiecta ratione, quia venit Rex mansuetus. Et quamvis de hac materia agatur Dominica 1. Adventus Matth. 21. usque ad v. 10. tamen veneranda antiquitas voluit etiam hac ipsa Dominica eandem historiam proponi. Ne vero plane eadem repetantur, placet ex eodem Matth. eandem repetere historiam; verum a v. 10. usque ad 17. hac Dominica Palmarum, quae ita appellata propter victoria Christi designationem, uti notat Ilod. Hispalens. lib. 4. c. 18. quia in ramis palmarum historia, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, Et de Diabolo mortis Principe triumphaturus. Dicitur alias etiam Dominica Sancta, uti Et tota septimana propter Christi sanctam ingressionem Ebr. 9, 12. Rom. 4, 25.

THESIS I.

THESIS I.

CONTINETUR verò in Evangelio tū Christi in urbem ingressio, de qua quoad causam, quis sit, proponitur interrogatio v. 10. in quo habetur circumstantia, ubi partim tempus: Et cum intrasset. *Intraverat quidem alias sapius, sed more modo à se hactenus nunquam usurpato. Intrat asina scilicet vectus, inter publicas discipulorum & turba acclamationes, secundum prophetiam Zach. 9. 9. Quod quidem sciebant Iudaei, sed quia non patiebantur se excitari prophetico praconio, singulari voluit eos monere adimpletæ promissionis spectaculo. Ut discamus, prophetias de Christo omnes fuisse adimpletas, & opere & sermone, uti monet Chrysost. hom. 77. in Matth.*

2. Et locus, Hierosolymam: *Inibi enim debebat pati, ut pote in urbe totius orientis pulcherrima, teste Plin. natural. hist. c. 14. apud omnes prædicatissima, uti loquitur Joseph. lib. 7. belli Jud. c. 18. in qua fuerunt, ut Talmudistæ scribunt, 401. collegia, in quibus divina & humana Sapientia tradebatur. Et ita prophetatum erat, uti Christus ipse testatur Luc. 18. 31. Ut discamus Christum voluisse pati in loco celeberrimo, ut omnibus innotesceret.*

3. Partim res ipsa, quoad effectum accidentalem: commota est universa civitas. Non quidem quoad concussionem terræ, uti Matth. 27, 51. tempore passionis, & resurrectionis Matth. 28, 2. factum; sed per metonym. subjecti pro adjuncto intelliguntur homines, sive cives, quemadmodum etiam Matth. 8, 34. usurpatur. Idq; factum partim exempli admiratione, quos spectaculi insoliti novitas attonitos reddebat, partim ex metu & timore, quia timebant tranquillitatem, ne ob publicum novi Regis præconium turbarentur, & in populo seditio concitaretur: partim deniq; ex consternatione: quia ob singularem Christi maiestatem quasi panico quodam terrore percellebantur. Absq; quo si fuisset, Romani milites in ipsum tanquam pacis publicæ turbatorem manus iniecissent. Ideoq; quod Lyra loquitur, non tantum principes sacerdotum & civitatis optimates turbati, sed tota civitas commovetur, uti habet Hieronymus, mirans frequentiam nesciens veritatem. Ut discatur divina Christi virtus, quæ sicut ante ingressum animos movit eorum ad quos asina & pullo pertinebāt, quò absq; ullatergiversatione jumentorum usum sibi concederent, ita in ipso ingressu movet Hierosolymitarum mentes, ne

Re-

ne regis huius pompam impedire conarentur.

4. Et interrogationem : quis est hic ? Ac si nescirent. Vt notanda sit affectata eorundem inscitia: Dum notus erat ipsis ob predicationem & miraculorum prestationem; simulq; execranda superbia, quasi dicerent : estne iste fabri filius ? Qui ergo fit, ut numerosa comitante caterva incedat ? Joh. 12, 35. fortasse honorem à nobis sibi prestari vult ; sed nolumus eum regnare in nos Luc. 19, 14. Ut discamus supinam negligentiam, & malitiosam hominum superbiam. Quales voces adhuc hodie audiuntur quando Christus spiritualiter in civitatem aliquam per Evangelii predicationem ingreditur : scandalizantur enim homines vel doctrine Evangelii novitate, quæ tamen est apparens Marc. 1, 27. vel contemptibili eorum specie per quos Evangelium annuntiatur. Psalm. 4, 7.

5. Tum est populi facta relatio v. 11. in quo efficiens causa: Turbæ autem dicebāt. Videlicet, quæ partim ex Bethania cum Christo venerant, & Lazarum à morte resuscitatum viderant; partim ex urbe in ipsius occursum cum ramis palmarum processerant, vestimenta sua straverant in via, & ramos ab arbo-

ribus in viam sparserant. Fuerunt ergo ad-
 vena, non primores civitatis; sed homines ple-
 bei, rudes ac simplices, ut ostendit oppositio Job.
 7. 48. Ut discamus quales Christus plerumq;
 in hoc mundo habeat comites, videlicet eos,
 quos Pontifices & Pharisei contemnunt & ri-
 dent, quiq; cum pueris conversantur. Proce-
 res Romani habebant quidem cultus divini of-
 ficinam, regni Israelitici sedem, templum Dei
 habitaculum, libros Prophetarum, Christum
 cotidie docentem & miracula edentem; nihilo-
 minus tamen à vera DEI cognitione aberr-
 bant, dum Filium ipsius repudiabant. Ita Deus
 abscondit regni sui mysteria à sapientibus &
 prudentibus, & revelat parvulis. Matth. 11. 24.

6. Tum est forma relationis seu confes-
 sionis, in qua summatim: Hic est JESUS.
 Vbi non tam demonstratio personae, siquidē non
 adeo ignotus erat Christus Hierosolymitanis,
 ut illius nomen ignorarent, dum & doctrina &
 miraculis in urbe se fecerat notissimum: quam
 egregia & praeclara confessio, dum vocant eum
 JESUM, quod nomen ab angelo coelitus dela-
 tum ipsi erat, impositum Luc. 2. 21. eoq; nomine
 agnoscunt ipsum unicum generis humani Sal-
 vatorem. Unde etiam ex Ps. 118. 25. ipsi accla-
 mant Osianna.

7. Explicatim, describunt quoad officium: Ille Propheeta. Nempe singularem & eximium intelligunt, de quo promissio facta est Deut. 18. 15. Quo sensu etiam hac appellatio Christo tribuitur Marc. 5. 15. Luc. 7. 16. Id quod etiam arguit articulus. Vt discamus, certa esse, quae Christus praedixit.

8. Quoad Locum: à Nazareth Galilææ. siquidem est à Nazareth Galilææ, dum inibi educatus, ad exprimendam confessionis suae certitudinem, quia Pontifices propterea noluerant ipsum pro Messia agnoscere, uti colligitur Ioh. 7. 52. & Ioh. 1. 46. Vt discamus turbam non fuisse dimotam à sententia Phariseorum, sed edidisse confessionem planam ac simplicem iuxta monitum 1. Petr. 3. 15. decreverant quidem Ioh. 9. 22 ut si quis confiteretur Iesum Nazarenum esse Christum, fieret ἀποανάγωγος; verum hac turba, non obstante illo decreto, in media urbe, in ipso Pontificum conspectu Christum & verbis & factis pro Messia confitetur. Vt aequè sequamur, expectantes largissima premia. Matth. 10. 31.

9. Tum templi post ingressum ejusdem repurgatio: cujus ab effectu notandum est antecedens, & quidem in templo reformatio v. 12. in quo occasio: Et intravit IESUS
in

in templum DEI. Secefferat quippe Christus in hoc suo in urbem Hierosolimam ingressu à via regia porta arcis ad portam templi, ut ostēderet se esse Dominum templi, secundū prādictiōē Hag. 2, 8 Malach. 3, 2 (dum non procul distabat à porta civitatis orientali, quāq; porta equorum dicebatur) ubi & descendit: ut erga sacrum locum reverentiam ostenderet, pedesq; templum ingressus, comitantibus ipsum discipulis & turba copiosissima; quin & pueris ipsum secutis, ut intelligitur ex eo, quod & pueri ipsi acclamarint Ohianna. Quo doceret, se non mundanum esse Regem, dum non in arcem Sionis, sed spiritualem & cœlestem, dum in templum intravit. Et quidem in templum DEI tanquam proprium habitaculum, uti vocatur 1. Reg. 3, 2. ut doceret se querere gloriam DEI Patris. Cumq; Matthæus DEI templum nominet, Malachias v. Messia, ostenditur Christum esse verum cum patre Deum. Simulque docetur, quod primo omnium templum ingredi h. e. regnum DEI querere debeamus Matth. 6, 36. Hoc enim proprium erat boni filii, ait Autor imperfecti operis. ut & veniens ad domum curreret Patris, & illi honorem redderet, qui genuit, ut tu imitator Christi factus, cum in aliquam ingressus fueris civitatem

tatem, primum ante omnem actum ad Eccle-
siam curras.

10 Et operum præstatio, quoad perso-
nas seu facta. Et ejiciebat omnes vendentes
& ementes in templo. A quo exordium fa-
cere voluit, ut ostenderet, abusum divini cultus
prius oportere tolli, antequam verus cultus ha-
bere locum possit. A malo prius declinandum
antequam facere possimus bonum, Psalm. 34. 3.
& Chrysost. ait: Salvator noster ingressus est
prius templum, informans civitatem, ut pecca-
ta sacerdotum primo castigaret, instar boni
medici, qui morbum à radice curat. Marcus
addit ipsum omnia circumspexisse, non ut in-
vitaretur, uti Lyra censuit, ad hospitium; sed
ut contemplaretur, an Pontifices ac Sacerdotes
suo officio fungerentur? Est enim in Græco &
Syro neutrum. Ut æquè nos attenti in cultu
divino omnia consideremus. Et cum offende-
ret sacerdotes avaritia compulsos mercatum
in templum introduxisse, ut quæstum haberent
quem constat magnum fuisse, cum nullus in
conspectu DEI vacuus apparere debuit Deut.
16. 16. Memoratq; Iosephus l. 2. de bell.
Iudaico c. 17. in una die paschatos numerata
ducenta quinquaginta sex millia hostiarum.

Illos autem omnes eiecit. Et quamvis Lucas addat, quod inceperit, tamen verbum ἀρχῆς. Idem non solum initium operis, sed etiam complementum continet, uti usurpatur Luc. 15, 14. Unde Syrus, quod coegerit exire per violentiam, uti etiam Job. 2, 15. Et quamvis minus peccasse ementes videantur, quam vendentes, cum per avaritiam sacerdotum non licuerit a libi emere; tamen nec ipsi fuerunt à peccatis exempti, quippe facto suo profanationem templi promovebant. In prima quidem repurgatione Job. 2, 14, 15, 16. tantum vendentes eiecit; sed cum videret, nullam sequi emendationem, etiam hic ementes. Habebat quidem pretextum, cum scriptura Deut. 14, 24. peregrinis è locis adventantibus permetteret, sed tantum in atrio gentium. Non debebat in templo fieri. Ut etiam qua licita monstraret iusto quoque loco esse peragenda. Et ostendit Christus se esse omnipotentem: Quomodo enim unus tanta multitudini alias sese opponere ausus fuisset? Unde, monet Origenes, ejectionem illam magis fuisse miraculosam, quam conversionem aquae in vinum: quoniam ibi inanimata serviunt, hic vero tot milliū cōpescuntur ingenia. Addit Hieronymus in hoc cap. mihi inter omnia quae fecit,

cit, hoc videtur mirabilius esse, quod unus & eo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, scribis & Phariseis savientibus & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem.

II. Quoad res: Mensasque numulariorum. Qui non ad mutuandam pecuniam, sed ad permutandam erant: dum certas mensas habebant positas, in quibus negotiationem suam exercebant seu trapeziticam, uti Syrus vocat, qui & κολλυβισται dicebantur, non à dictione κόλυβα, uti vult Hieronymus, sed à dictione κολλυβιστος, quod significat nummum parvum, qui pro commutanda pecunia nummulario datur. Unde Iohannes κερματισαὶς à vocè κέρμα, quod significat, aris minutias (uti illud ipsum etiam Cujacius de pactis, pluribus declarat) fuisse in civitatibus certum corpus argentariorum, apud quos pecunia permutabantur, vendebantur, quod latine est cambire. Et quemadmodum habetur in Talmud, Hierosolymitano, quibus dimidius siclus non esset ex lege Domini Exod. 36. 16. in promptu invenirent ibi pecuniam apud num-

numularios, sive permutatione alterius generis moneta, sive dato pignore, ita ut nulla esset incensus pensione mora.

12. Et cathedras vendentium columbas, quas foeminas fuisse probabile est: uti vel ex Martiale colligitur, dum inquit:

*Inter foemineas tota qui luce cathedras
Desidet.*

quibus cum difficile sit diu stare, usitatum fuit sedilia secum afferre, & columbas pro tenuioribus vendere. Hasevertit, ut etiam effuderit as & pecuniam. Origenes per tres species hominum à Christo ejectorum accepit tres species avarorum, ut per vendentes & ementes intelligantur, qui è populo Christiano ad nihil fere aliud vacant, quàm circa venditiones & emptiones, & lacra terrena conquirenda; per numularios, qui Ecclesiasticas pecunias pauperibus distribuendas non benè tractant, & ex rebus pauperum divitias sibi colligunt; per vendentes columbas, Episcopos & Sacerdotes intelligit, qui dona Spiritus S. vendunt; Et qui in Ecclesia de impositione manus precium accipiunt, (quam Simoniacam heresim sacri Canonis damnant & eos sacerdotio privari precipiunt, qui de largiendis ordinibus precium querunt.) habet Beda in cap. 11. Marci, per

quam

quam impositionem Spiritus S. datur, qui per columbam significatur. Ut nos discamus a quo templum cordis purgare & avaritiam fugare.

13. Tum facti comprobatio v. 13. in quo partim allegatio: Et dixit eis, scriptum est. Neque enim fuit haec muta & theatra quaedam actio; sed Christus heroici sui facti causas exponit. Et non allegavit Prophetam: quia non unum, sed duo oracula prophetica adduxit. Ut discamus, non tam necessarium esse locum allegando memoriam ostentare, quam verba citare & sensum ipsum urgere.

14. Partim applicatio, continens causam impulsivam, quoad usum templi: Domus mea domus deprecationis vocabitur. Id quod legitur Es. 56, 7. Et continetur in hoc loco prophetica promissio devotione gentium: ubi ostenditur domum orationis fore non tantum Israelitis; sed etiam omnibus populis. Id quod Christus accommodat ad suam domum. Factum vero, ut ostenderet, se divina auctoritate suscepisse: quia Pater & Filius unum sunt Ioh. 10, 30. Id quod etiam Luc. 2, 49. innuit: Nam templum & domus Messiae dicitur Malach. 3, 1. Deinde, ut collationem institueret inter verum templi usum, ad quod

DEI

DEI mandato erat destinatum: nempe ut esset domus orationis siue profencha, uti Juvenalis usurpat, & Iosephus etiam Act. 16. 13. quia preces publicae inibi fieri debebant, simulq; per Synecdoch. totus cultus divinus expeditur Iob. 4. 12. 3. ut admoneret auditores, in propinquo adesse tempus, quo impleri debeat, quod Esaias praedixerat. Unde apud Marcum additur expresso: vocabitur, in futuro, domus orationis. Et quamvis in quibusdam exemplaribus apud Lucam verbum presentis temporis, rectius tamen in futuro: cum magis congruat cum vaticinio Esaiæ. Ut discamus, in omnibus actionibus nostris scripturae normam sequi: Ita tamen dicitur non quasi magis praesens sit DEUS in templo, uti quidem in V. T. ubi specialis promissio exauditionis Exod. 20. 24. Deut. 12. 11. 1. Reg. 8. 28 sed ut invocemus Deum & sanctas manus attollamus in omni loco 1. Tim. 2. 8. Iob. 4. 21. cum primis verò in loco congregationis Matt. 18. v. 19, 20. Et observemus, domum cordis nostri non debere fieri domum sollicitudinum temporalium, sed domum orationis.

15. Quoad abusum: ut vos fecistis speculuncam latronum. Quod ex Ieremia 7. v. 11, desumptum, quia ut tempore Prophetae, ita etiam

etiam modò cultus Dei erat vitiatuſ, & templum profanatum. Non domum incuſans, nec legem reprehendens, habet Irenæuſ l. 4. ad verſ. hæreſ. c. 5. quam venerat adimplere: ſed eos, qui non benè utebantur domo, & eos qui legem transgrediebantur, arguens. Dicitur autem non tam ſpelunca latronum, ratione ſitus & formæ, uti voluit, Fulleruſ lib. 4. Miſcell. c. 6. quales fuerunt rupes Engeddi, ſed reſpectu Sacerdotum, quos confert cum latronibus 1. ob vanam in templum confidentiam: id quod ex allegato loco Ieremiæ verſ. precedente colligitur, dum inani prætextu & fiducia templi licentiam ſibi peccandi ſumebant. ut ſicuti latrones audaciuſ peccant quia in ſpeluncis ſeſe tutoſ credunt: ita Sacerdoteſ propter templum impunitatem ſclerum ſibi promittebant. 2. ob hypocriſin: Ut enim latroneſ habent ſpeluncas in quaſ ſeſe abdunt, mox egreſſi innocentiam ſimulant: ſic Sacerdoteſ in peccatiſ ſecure pergebant & perpetratiſ dictiſ offerebant ſacrificia fictitiu cultu Deo & hominibuſ ſucū facienteſ 3. ob crudelitatem: nam ſacerdoteſ ut latroneſ ſanguinaria de Chriſto conſilia ſuſcipiebant & exercebant Iob. 7. v. 32. c. 8. v. 59. c. 10. v. 31. Matt. 23. 35. In ipſo templo erant: quemadmodū Gloſſa ordinaria habet
ut

ut vel non dantes corporaliter persequerentur
vel dantes spiritualiter necarent 4. ob avariti-
am: nam avaritia, uti habet Theophylactus,
& lucri cupiditas latronum morbus est, qui lu-
cris adeo sunt intenti, ut propter illa conquiren-
da non dubitent innocentem etiam sanguinem
effundere: eorum mores exprimebant Sacerdo-
tes qui in Deum impie, in Homines iniqui, & per-
fide se gerebant turpe lucrum undiquaque ca-
pantes pietatem aestimantes negotiationem,
& questum 1. Tim. 6. 5. quos Nazianzenus
χρηστοπῆλγος vocat. Denique ob falsam
doctrinam quemadmodum Hieronymus in
cap. 2. Habacuc inquit: Is qui haeretica docet,
facit domum negotiationis. Ut discamus à
talibus, nisi tales velimus esse, nobis cavere.

16. Et infirmorum sanatio v. 14. in quo
partim accessus in genere: Et accesserunt
ad eum cæci & claudi. Postquam scilicet
videntes & ementes expulerat tum addu-
cti alii, quemadmodum verbum ἰατρὸς ἐρχο-
μεν in hac significatione usurpatur Matth. 9.
29. Act. 28. 9 Ut discamus, si velimus gemini
ipsius esse discipuli, proximū juvare: quò verò
cum lobo dicere queamus c. 29. 15. Oculas fuit
cæco & pes claudò: & observemus Iesum esse
verum Messiam secundum Esai 28. 15.

17. In specie est locus, in templo. Hoc est in illa ipsa templi parte, in atrio illo extremo, e quo vendentes expulerat. Ut discamus ubique opera misericordiae esse exercenda.

18. Et effectus: & sanavit eos. Ut caeci viderent Marc. 8, 25. claudi a vepermodis ambulare Act. 3, 8. Id quod factum esse miraculosum, constat ex perspicuis verbis vers. sequentis. Ut discamus ipsum verum esse Deum, infinita virtute potentē. Sanavit quidem etiam Petrus claudum Act. 3, 6. sed Christi virtute, ut habet eodem vers. 12. Et Vespasianus teste Svetonio, caeco lumen Et claudogressum restituit; sed Tertullianus in Apologetico cap. 22. recte monet: credibile esse totum illum morbum fuisse à Diabolo, qui insidens oculo unus Et tibia alterius impediēbat usum eorum membrorum, idque eò fine, ut videretur sanare cū desideraret nocere Cornel. Tacit. l. 4. hist. recenset utriusq. morbum à medicis iudicatum fuisse curabilem. Ut discamus DEVM solum miracula facere posse.

19. Consequens est tum Phariseorum indignatio v. 13. in quo summam ejus causa: Cum vidissent autem Principes sacerdotum & scribae. Qui potissimum erant Christi adversarii, ut qui timebant suo statui ac

P p

ordini

ordini. Et per eos non solum intelliguntur, qui summo pontificatu aliquando functi fuerant, principes sacerdotum, sed etiam Principes 24. familiarum sacerdotalium, qui principes Sanctuarii & DEI vocabantur 1. Paral. 24. 5. 2. Paral. 3614. Scribae verò qui legem descriptam habebant & interpretabantur, quique si quid dubii occurrebat, ex lege responsa dabant, uti habetur Matt. 2, 4. & Matt. 7, 29. Illi ergo cum viderent, indignabantur.

20. Tum explicatio, objectum reale: Mirabilia quæ fecerat. Quæ nimirum in cæcis & claudis fiebant: nam mirabilia etiam sunt miracula & vocantur Exod. 3, 20. Deut. 34, 12. Jos. 3, 5. Iud. 6, 13. Alias Biel. 2. sentent distinct. 8. q. 2. mirabilia à miraculis distinguit, præter tamen necessitatem, si sacram respiciamus scripturam.

21. Tum personale: Et pueros, qui describuntur ab effectu, ratione loci: clamantes in templo. Ut qui ipsum secuti fuerant; Seniores quidem & adultiores sinem iubilandi fecerant: cum Christus templum jam esset ingressus; sed pueri, quod à maioribus acclamatum audierant, non cessabant ingeminare etiam in ipso templo. Ut discamus peculiari Spiritus S. impulsu factum fuisse, quia de illis nulla poterat.

erat esse suspicio, quod vel mercede corrupti, vel cæco favore impulsæ tale quid fecerint. Magnū quidem erat, quod totius populi applausu pro Messia agnitus; sed longe majus, quod solennibus puerorum in medio templo jubilantium acclamationibus pro Messia celebratus.

22. Et ratione effectus, quoad modum dicentes. O Sanna Filio David. Sequuntur exemplum seniorum, quos audierant Christum laetis acclamationibus ita excipere; quo testantur Christum esse verum Deum illum & hominem, dum filium vocant Davidis, & dum Hosanna acclamant.

23. Quoad affectum: Indignati sunt scilicet Pharisei, seu stomachabantur; hoc enim est ἀγανακτεῖν, uti usurpatur Sap. 12, 27. Ut discamus malos invidere semper bonis & recte factis.

24. Tum est Christi adversus indignantes approbatio. v. 16. in quo partim antecedens, Phariseorum interrogatio: Et dixerunt audis quid isti dicant? Graviter ipsos mordebat splendor signorum & voces puerorum. Interrogatioq; est, quæ habent vim reprehendendi per tacitum dilemma. Ac si dicerent: si non audis, surdus es; si audis, cur nō prohibes, cum iste honor tibi non competat? illi

per aetatem non intelligunt, ideoq; tantum mendicatus. *Ut discamus extremam Sacerdotum malitiam, dum non solum ipsimet à laude abstinere sed etiam impedire alios conantur, secundum illud Christi Matth. 23, 13. Vos non intratis, nec introeuntes finitis intrare. Hinc Christo potius convenisset, uti monet Chrysost. hom. 68. in Matt. ut interrogaret illos: non auditis, quid dicant hi filii vestri, qui me nunquam viderunt?*

25. Et consequens, Christi informatio per probationem: JESUS autem dicit, quidni? *Utiq; sive profecto, hoc est omnino audio, quid illi dicant, & approbo. Ut doceat, neq; puerorum se spernere voces vel preces, imò maxime probare, ut qui sunt innocentes, quodque etiam infantes & lactantes sint pleni S. S. gratia.*

26. Et per confirmationem: Nunquam legistis? *ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem. Ex Ps. 8 3. quem Psalmum de Christo agere manifestum est ex allegatione Apostolica Heb. 2, 6. Nimirum eos, qui scriptura periti esse volebāt, per scripturas refellit & allegat locum ex 70. interpretibus, quia tunc erat in usu. Ut discamus, etiamsi homines grandiores & sapientes taceant: tamen vel pueri & infantes loquuntur, ut quorum ora divina virtute & gratia*

gratia, uti habet Theoph. & Chrys. movebat.
 Ut discamus Deum potissimum predicari vel-
 le per simplices, divino Spiritu impulsos, sicut
 constat de Apostolis, quod fuerint ἀγέφυκα-
 τοι καὶ ἰδιῶν) Act. 4, 13. ante effusionem S. S.

N O T A E.

1. **C**ommota universa civitas] Con-
 sidera, ad presentiam Christi mo-
 veri civitatem; ut discas Dei misericor-
 diam, quæ voluit etiam docere Messia præ-
 sentiam.
2. **E**T intravit Jesus in templum] Con-
 sidera, Christum statim post in-
 gressum intrasse templum; ut discas à sa-
 cris omne ordiri negotium.
3. **E**T ore infantium) Considera,
 Phariseos & Scribas indignatos fuis-
 se, sed infantes & pueros lactantes Jesum
 laudasse; ut discas, infantium tanquam
 innocentum laudem magis placere Deo,
 quàm grandiorum, magis puerorū preces
 quàm magnatum.

C A S U S.

An testimonium vulgi præferendum
 graviorum virorum?

Non

NON videtur. 1. quia mobilis est vulgus, modò laudat Christum, & Osianna accinit, modò crucifige inclamat.

2. Si contraria fama, habet Freherus lib 2. c. 15. n. 2. ad testes digniores est attendendum. Farin q. 47. n. 167.

3. Non à vilibus personis fama initium sumere debet c. quilibet de accus. Cacher. decis. 101. n. 17.

Contra 1. Christus ipse inquit: ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem ex Ps. 8, 3.

2. Numerus testium inspiciendus est & in eam partem inclinandum, quæ pluribus testibus firmata invenitur c. in vestra X. de testibus.

3. Probationibus etiam paribus existentibus præfertur præ se habens presumptionem Text. & Gloss. in l. duo in verbo autoritatis ff. de iure jurand. quam Bartolus n. 3. vocat singularem & Janson. n. 3. ibidem.

Ad contraria argumenta 1. Fall. Conseq. licet enim sit mobilis vulgus, tamen fama vulgi interdum plenè probat.

Cx.

Cavall. q. 302. n. 2. arg. l. 10. § 5. ff. de
quæstion. ut in nobilitate & qualitate
probanda Beust. in l. admonendi num.
1094. per l. penult. C. de postuland.

Ad 2. Etiam hic non solum vulgus
testatur, sed & digniores testes. Ibi est DE-
VS in Jordane Matth. 3, 17. in monte Tha-
bor Matth. 17, 5. ibi Propheta, ad quos sem-
per provocavit, ibi Johannes Matth. 3, 11.
Marc. 1, 8. Thess. 1, 29. Luc. 3, 15. quem
ipsi habuerunt pro Propheta, quem volue-
runt pro Messia agnoscere Joh. 3, 27. Ni-
codemus Joh. 7, 41. Iosephus de Ari-
mathia Matt. 27, 17 Marc. 15, 43. In do-
mo Neronis Philip. 4, 22.

Ad 3. pro ratione rei, interdum eti-
am à vilibus oriri potest ex l. 3. C. de Nau-
frag. Quin etiam in iure plures vincunt
pauciores c. licet 9. extra de probat.

An pueri etiam testimoniū dicere possint?

Non videtur 1. Quia Ruth. 4. 9. 10. Booz
seniores populi testes valuit.

2. Iura impuberes non admittunt ad testimo-
nium l. 3. § lege Julia ff. de testibus propter
lubricam fidem, & quia iudicio carent l. cum
prætor § non autem ff. de iudic.

3. Bar-

3. Bartolus in dicto § lege julia. Speculator in tit. de test. § 1. n. 23. Farinac. l. 2. tit. 6. q. 58. n. 1. quia tenentur testes jurare l. jurisjuran. C. de testibus: puer autem non admittitur ad juramentum l. 4. ff. de inlit. jurand. c. 1. 4. q. 3. c. pueri 22. q. 4.

Contra 1. Hic in Evangelio Christus provocat ad testimonium puerorum dum laudem sibi parari ex eis asseverat.

2. Daniel puer non tantum testis, sed & iudex fuit in historia Susanna v. 4. 5.

3. Impubes pubertati proximus in civilibus potest esse testis per Abb. in l. testin. n. 1. versu nam in civil. l. ff. de testibus: etiam in criminalibus l. gne. in l. excipientur n. 36. versu: dic propius, junct. Mascardus de probat. l. 3. conclus. 1246. n. 5. etiam ad terquendum, non tantum ad inquirendum Faun. d. l. n. 27. quoniam veritas aliter haberi non potest quoad iudicium & presumptionem.


Ad contraria 1. Intelligendum de ordinariis, si alii haberi possunt testes: pupillus ff. de testib. ad 2. potissimum ad plenam probationem ad accusationem ad 3. Jurare quidem non

possunt, sed presumuntur tamen ve-

riatis studiosi: Kinder und Nar-

ren sagen gemeinlich die

Wahrheit.



Et molitur plumbum: mirum pleris-
que videtur;

Agricolæ plumbi, sed moletrina
probat:

Sic & ut intrarat Solymas Rex Christ' a sellis
Est Pharisaorum territa tota manus.

Et mirata simul: querendo quis iste Pro-
pheta?

Urbem qui totam turbat aditq; sacram?
Turba refert: Jesus hic maximus ille Pro-
pheta,

E Nasarethæ sedibus ille venit.

Intravit templū, vendentes pellit, e mentes
Ejicit & mensas cum cathedrisq; suis.

Dixit: an est templum vobis spelunca la-
tronum?

Hæc mea sancta domo debuit esse precii.

Tunc accesserunt cæci claudiq; rogantes

Ut sanaret eos. Fecit id idq; statim

Hoc Pharisea Cohors ubi vidit, & audiit,
ipsi

Tunc Hosanna cani, turgida bile tumet,
Sub

Subjicit, hanc audis? quid dicant? ille re-
gessit:

Ex his na laudem perficit ipse suam.
Hac BLETMULLERUS repetit modò. pergat
at idem!

Non plumbum molct ast tunc Hosi-
anne canet.

optat
GUEINZIUS.



Ερχεῖ νῦν εἰς μέγα προσδοκηθεὶς
Ἀρχὸς ἀρχόντων. Διὸ σφόδρα Σιών
Ἐγγον σκιρᾷ, Σολύμων ἔορτε
Χάρματι γηδαῖ.

Ὅιον εἰρήνην ἀνάπαυσιν αὐτῇ
Αὐτὸς ἀσπασὴν παρέχει, βροτοῖς τε
Πᾶσι: καὶ πάλω ὅχε', ὄνυχῃ
Ερχεῖ αἵτης.

Ταῦτα βλεμυλλῆρε τέοις ἀρέσκεις
Φίλε καλῶς ἐνθεοῖς, Ἀλλὰ σπένδει!
Ἀρχὲ εἰρήνης ἀμέγαρον ἔξει
Κόμμα Θεοῦ.

JOHANN. MELCHIOR Starckloff
Eiffordia Thuringus

02 A 572
(1/2)

ULB Halle
003 808 483

3



Vb 17

DI
EVANG
PR
CHRIST
HALL
Q2.C

